


165. QK. 534, 91.

B. 1







^{22, 28}
Joānis Reuch-
lin Phorcensis Scenica
Progymnasmata. hoc
est. Ludicra pæxer-
citamenta.

Sebastianus. Brant.

Accipe Vangionū presul venerāde / Ioannis
 Capnionis nostri comica dulciloqui.
 Quo duce Germanos comedia prisca reuisit
 Et meruit succis Rhenus inire nouis.
 Barbarico ex fumo / flāmas me⁹ ille decoras
 Capnion elicuit. gracia multa viro.
 Multū docta cohors / multū cirrata iuuētus
 Debet Capnioni. multa thalia meo.



Nihil sine causa
 OLPE



Reuerēdissimo Clarissimoqz in

Christo p̄ri z dño Dño Joāni Camerario Dalburgio Uā
gionū aut Uarmacien Antistiti P̄ncipiꝫ piētissimo dño
Iuo clemētissimo Jo. Bergman de Olpe. Archidiaconus
Grandisuallis, cum humili cōmendatione obedientiam

¶ Episcopoz glia. p̄horū pater. musaz defensor. tot⁹ li-
teris dedit⁹. tot⁹ sapientia plen⁹. sicqz familiā tuā illustras.
Germaniā exornas. Philippi Co. Rbe. pa. dec⁹ auges et
amplificas. nec solū in domesticis. z palaciū sui reb⁹. sed etiā
ap̄d Gallos ap̄d Ro. pon. ap̄d impatorē. eloquētia / p̄silio
prudētia / glia ei sepe peperisti. his tuis v̄tutib⁹ noster
Jo. Reuchlin Thorcensis. puocat⁹ / comediā lepidissimā /
p̄ vsu germanice iuuentut⁹ a se lucubrātā corā tua piētissi-
ma pat̄nitate om̄i scēntico ludo seruato / primū recitari fecit
vt iudex esses noue z nunq̄ a Germano attentate cōposi-
tionis. audisti. p̄bisti. pueros recitātes auro annulisqz do-
nasti. vt eos. ceterosqz bone adolescētes ad feruenti⁹ lrarū
studiū accēderes z inflāmares. eam comediā vt in mltorū
man⁹ veniat (nihil em̄ obscenū aut impuz p̄inet) impressi
edidi. disseminare feci. nō barbaro quidē sed antiquo cara-
ctere. T. P. placituro. hanc tu suscipe defende tuere. Ex
Basilea kl. Maij Anno christi Millesimo quadringente-
simononagesimooctauo.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

- Henno villanus. Elsa vxor Hennonis.
- Abra filia Hennonis & Elsæ. Dromo seruus.
- Greta villana. Alcabitius astrologus diuīacul⁹.
- Danista pannicida mercator. Petrucij patron⁹.
- Minos iudex.

prologus
Prologus.

Douus poeta sentiens actoribus
Spaciū deesse temporis quo se parent
Vertit statim quam fecerat Comediam
In ludum anilem quem vocat progymnasmata
Nec argumento nec stilo sublimia
Nam vxoris es reconditum vir inuenit
Ac subtrahit. seruo remandat improbo.
Idem furatur. atq; iuri sistitur
Astu aduocati. ipsum aduocatum decipit
Non est soluta oratio sed vinculis
Iambicis trimetris ligata Comice
Optans poeta placere paucis versibus
Sat esse adeptum glorie arbitratus est
Si autore se Germanie Schola luserit.
Grecanicis & rhomuleis lusibus.
Nobis fauete nunc. & huius fabule
Auris benignas comodate actoribus.

Actus Primus.

ELSA, HENNO, DROMO

ELS. Muliercularum est misera conditio Hercule
Atq; ijs magis que sunt maritis coniuges.
Hoc vsq; sensi, que vltro sum subiuga
Quecunq; nendo, operamq; dando, domesticis
Curis, lucris, negocijsq; villicis

A h

Vel quærito vel condo parifimonia
Totum hic meus ludit maritus & bibit.
Ut vix mihi lodix superfit futilis.
Pauper lacerna, rricula, & calyptra iam
Non ego capillos plagulis connexito.
HEN. Faxo sciam tantum quid vxor murmurat
Ne forte sensit quid dolo subtraxerim
De eius crumenula, Sed est mirum vnde tot
Sibi aureos corraferit mulier cula.
Sum ego vir. & vix de omnibus laboribus
Totius anni vel talentum congero.
Huic autem heri octo sum furatus aureos
Latenter ex loculo, loco vix credito.
Adeo mea vxor parca parifimonia
Plus multo agit quam ego laboribus, tamen
Et hoc quidem non nihil in annuis lucris
Venit recensendum, q̄ indies bibo
Ludo, sed & scurto aliquando, & balneor
Id mea beat, tritum quod est prouerbium
Tenax requirit prodigum, ille ego ipse sum
Et illa rursus hæc ipsa sit necesse erit.
Sed adior ^{ad bo} tumultuantem fœminam.
Vxor, bonum fero. ELS. Et quidem fero nimis
Nil seriùs mihi est bono, cui labor

Tantum diurnus incubat, q̄ vesperi
Iam vix queam præ pigritudine hircere
HEM. Quodcūq̄ sit laboris vtriq̄, attamen
Nil nostrum vtriq̄ (quod sciam) reliqui est super,
Quin ego annuo labore quem grauius fero.
Vix superum post omnia mihi in lucro est
Semilacer incedo refartis vestibus.
Id ego vsq̄ adhuc meū moleste cogitans
Qd̄ ad oppidum mihi migrandum quotidie est
Ad honestos & voluptuarius viros
Quibus affero caseum, nuces, lac, olusculum
Poma & pira, & genus id meorum fructuum,
Statui quidem Danistam amicū filiaē
Nostræ prece oppugnare, scis quem nomino?
ELS. Scio, qui in oppido tenax mercator est
Nostramq̄ vult domi suæ ancillarier
HEN. Recte tu, eum statui precari, vt crederet
Palmas decem vel viliores lanei
Panni, manuleata quo mihi pennula
Fieret, vel amplius ex eo si emungere
Possem, idq̄ verbo nuper ei insinuaueram
Dicens peculium haud mihi vllum extare nunc
Conijcere fat valui nec inuitum fore
Quare hic Dromo legandus est in oppidum
A iij

Ferat mihi a Danista eum pannum in diem
Credendum, vbi æris atq; opum plus suppetat
ELS. Tu loquitor illi in rem tuã quicquid voles
Ego exeo, vt curẽ interea vt stabulent boues
HEN. Heus tu Drõo, Dro. qd e? HEM. veni, haud
In te animo, ille amãs tui & fidelior (clã te est meo
Quam cæteris erga suos famulos sit, hinc
Tuam fidem in re quadam ego repeto ardua
Occultius quam alias nihil petiuerim
DRO. Sis certus, isti dixeris lapidi & luto.
Quicquid tacendum est optime tacebitur.
HEN. Mea vxor (vt nosti) se pauperẽ facit
Semper, nec vllum obolum dat ingluuiem vt mihi
Saciet meam, nam alumnus illi ego libens
Sum, at illa contra mihi nequaquam, eo fui
Cautior in inquirendo, si peculium
Quod parcitate sua lucrata aliquando sit.
Aliquo loci pessundatum aut absconditum
Valerem ea absenti excauare furaciter
Quid pluribus? reperi in eo ipso septo, item
Et in ipso eodem ouium vltimo præsepio
Octo aureos a foemina reconditos.
Quos te velim Danistẽ vt afferas cito
Huic pannicidæ, nosti: in oppido viro


Mihi meisq; valde amico. DRO. noui ego
Nam & ille me nouit vicissim, deinde quid?
HEN. Pro his mihi vt pannum bonū mittat velim
Quo lautius redimiculum fieri queat
Ne semper & pannosus & tam sordidus
Incedere ad sodalitatem & symbolum
Cogar, bibendi aut balneandi tempore
DRO. Fiat, Hen. caue vtiliter geras tibi q̄ impero
DRO. Fiat. Hen. pecunia nemini alteri caue.
DRO. Fiat, magister admones quod ipsemet
Non negligenter eram sequuturus, mihi vt
Retinerem, & aurum nec darem cuiquam alteri.
Sed pannum ab illo pannicida emungere
Ex credito, & vendere peregrino viro
Data pecunia. simul quam ego furer
Sententia est mea, sic volo sic proposui
 ELSA GRETA.
ELS. Querit̄ maritus miseriam, totū æs bibit,
Dilapidat argentum suum tam prodige
Quam si leues essent aristæ, ego secus
Nam quodocunq; datur subduco nummulum
Cummutoq; argentū clam in aurum haud segniter
Quod cumulo & inde condo sub præsepio.
Hic ludus, hæc mea est voluptas maxima

Nam sæpe bis terue in die loculum exuo
Videoq; si sit aurum, & an speciosius
Quam fuerit antea, sic item reconditur
Nunc vado item meopte more, dum Dromo
Iussum capeffit, dum loquuntur inuicem
Heus tu crumenua, quam beate & bellule
Vales? Sed ecce quod euoluta singula
Cerno? Pape, Heu miseram me hoc execrabile
Hoc luctuosum, hoc anxium infortunium.
Crumena non est, O propinqua subueni
Vicina Greta, funditus sum perdita.

GRE. Amica valde mihi atq; chara, qd Elsa hoc est
Quod clamitas? ELS. heu fundit? sum perdita
Ablata vita est, victus imminutus est
GRE. Dic mihi qd? ELS. auri aliquatulu cõgesserã
Defoderam in præsepe clam meo viro.
Nunc cum maritus luget indigentiam
Veniam meam resciscitans opulentiam
Loculum euolutum & aurum abactum comperi.
Heu me miserrimã. GRE. Scio quid factites
ELS. qd? GRE. Est in oppido mathematicus satis
Aiunt peritus astrolabri & manticus,
Eamus, vno solido mercabimur
Virum, quod indicet peculij furem

ELS. O solidum foeliciorem caesare

GRE. Eamus. ELS. ibo, manebit vsq; vir domi
CHORAVLES CHORVS.



Mortalium iocunditas volucris & pendula
Mouetur instar turbinis, quam nix agit sedula
Quid ergo confiditis in gloria?
Qui diues est, penuriam formidat ignobilem
Instabilis fati rotam semper timet mobilem
Degitq; vitam prope fallibilem,
Qui pauper est nihil timet, nihil potest perdere
Sed spe bona lætus sedet, nam sperat acquirere
Discitq; virtute deum colere

Actus. Secundus.

ALCABICIVS, GRETA, ELSA,

ALC. Ptolemæus in libris alarbamakalet
Artes magisterij bonas nobis dedit
Astrorum, & omnium quæ scire celitus
Homines docet stellarum & errorum situs
Signorum amicicias & intuitus graues
Domū locationum, vt inde singulam
Nos rem queamus scire, siue futura sit

Seu deniq; præfens aut præterita
GRE. Audis qd iste astrologus augurat oscitans
Ex circulo hoc se dicit nosse singula,
Vis ut loquamur de tuo thesaurulo? (ALC. qd est
ELS. Quid ni? libeter, ALC. Ecqs est? GRE. aliq;
ELS. Est foemina priuata, paupera, egena, inops
GRE. Tace. ALC. hæc dom^o nō paupes, s; diuites
Amat. repellit pauperes, abite dum
GRE. Magister, esset ista abundans maxime
Si per furum licuisset heu petulantiam.
Nam hoc tēpore est præreptum huic peculium
Quod humi defossū habebat, ALC. hora cedo q?
GRE. Iam circiter secūda. ALC. hoc ē scitu dignū
Aries, dein Taurus, dein Gemini, dein
Cancer, dein Leo, dein Virgo, dein
Et Libra, tum Scorpio, malum hoc signum notat
ELS. Qui pessimū, ALC. tacete, Sexta dom^o cadēs
Rursus malum, mulier rogo qua parte? quo
Momento? & horæ punctulo, quoue atomo?
ELS. E castor haud memisse possu; horologiūq;
Editius ille noster indocte regit
ALC. Qui ignorat ignorabitur, vel aestima
ELS. Post portionem mediam erat recte scio
ALC. Bene est, fuit tum triplicitatis tertius

Mercurius, hic dominusq; quæstionis est
Hoho filete, calculis negotium
Totum breui tenebo perfectissime
Immo teneo, senex vir est, & villicus
Caputq; tectus pileo ad latus rubro
Nebrideq; pectus decorat hirsuta nimis
ELS. Certe marito similis ē. GRE. Tace obsecro
ALC. Bibit libēter. Els. certe is ē. Gre. Tace obsecro
ALC. Et balneat, ELS. atq; is ē. GRE. Tace obsecro
ALC. Scortaī in mirū modū. ELS. hic non est me
Nam me recumbentem sibi vix basiat
ALC. Illi fuit quondam arcta tecum habitatio
ELS. Vetera hic nimis cōmemorat, haud scio q; est
Teneris solemus ludere annis latius
GRE. Tace mō, ALC. vn^o e villa est qua victitas.
Astronomicæ leges vetant plus dicere.
Præstate vaticinanti oblatum solidum.
ELS. Tene magister, suspicor male, nescio
ALC. Valet, ELS. Certe me hercules tetigit virū
Meum, GRE. Inuenis multos viros eiusmodi
Ego nequiuū segregare neminem
Sic est locutus in viros quam plurimos.
Putas maritus hanc tuam crumenulam
Optaret expilare? egenti qui daret.

ELS. O Greta nescis omnium mentes virorum
Et te peto nolis cuiq̄ fidere.

Sed ecce quid maritus & Dromo parant?

GRE. Rixant̄ inter se. ELS. unde tantū esset mali?

DROMO, HENNO, ELSA,

DRO. Pecuniam simulq̄ pannum detinet

Danista, ait te affore sibi perendie

HEN. Qd̄ si nequisset pannicida eum mihi

Tecum dare (vt rediens acute disputas)

Tu debuisses de pecunia secus .

Sed vxor intrat. Tu caue pecuniam.

Ne nomines, Danista quid locutus est?

DRO. Et se & sua omnia dat potestati tuæ

Petitq̄ filiam sibi ancillarier

HEN. Fieri pōt, ELS. Dromo nec optat nec petit,

HEN. Quare? ELS. quia iter se odiūt nihil dromo

Et filia, Expedi marite negotium (spōderat?

HEN. Dromo, DRO. qd̄ est? HEN. aliud nihil re


DRO. Nisi vt valeres tu & magistra salubriter

In ptoximo emporio velit tecum loqui

HEN. Sat est, Eum tueantur optimi Ioues

ELS. Et ego opto foelix valeat vsq̄ vir bonus

CHORAVLES CHORVS,



Digna sunt apolline Que concinunt poetæ
Quo conuscant numiue Diuinitus prophetæ
Diligamus ergo nos Vates coelitus sacros
Quorū ludos scænicos Ostendimus facete

Actus Tertius.

HENNO, ELSA, DROMO,

HEN. Rhodum redegei cuncta nunc in ordinem!

Quæ mecum ituri in oppidum ferte ad forum

Vt veniant quam plurimi. ELS. Num tu traham

Frugibus onustam lateribus venum trahes?

HEN. Non, vos abite, caulem, olusculum, allium

Lac caseum portare supra verticem

Partim quoq; & suffarcinatae vestibus

Quicquid potestis ferre, ferte ad nundinas.

Nam auro est opus non aliter atq; vita. ELS. Ita

Censeo quidem. HEN. præibo, vos sequimini

Dromo Dromo mecum, sed scenum baiula

Adeoq; binos tolle fasces quoad potes (modo.

DRO. Curabo recte. HEN. Iã veni. DRO. Venio

DANISTA, HENNO, DROMO,

Pecuniam fers Henno? HEM. Cur pannum mihi

B i

Hoc cum meo Dromone nullum miseris ?

Aut cur & ipsos aureos datos tibi

Octo retentas ? nisi tui fidentior

Essem, nihil non suspicarer, vt solent

Qui nesciunt quis improbus vel quis probus.

DAN. Tu vero habes pecuniã, atq; ego pecuniam

Careo, fidem tuam secutus maxime

HEN. Iuro aureos dedisse, qui nil sumpserim.

DAN. Pannũq; iuro dedisse qui nil sumpserim

HEN. Veni Dromo, tibi iste pannũ tradidit ?

Dro. Nõ. Hen. Ecce. Da. tu ne pecuniã dederis mihi ?

Dro. Nõ. Da. Ecce. Hen. pannũ ne portasti Dromo ?

Dro. Nõ. Hen. Ecce. Dan. Crede, dedi dromoni qnũ

Panni boni vlnas, tibi referret credito. HEN. (deci-

Quid credito ? numeravi in huius ego manus

Octo aureos, DRO. Factum magister pernego.

HEN. Et ego Danista vlnam vel vllã pernego

DAN. Fateor, tibi Henno non dedi, famulo dedi

DRO. Factũ Danista pernego. Dan. o, pbe vir Dro

Non inde sic euaseris trilitere (uo

DRO. Trilitere ? hoc qd est ? num fama leditur ?

Famam viro obfuscas, magistratus vetat.

Triliterum ne nomen est suis aut bouis ?

DAN. Quid si bouẽ te nominẽ ? sed o Dromo

DRO. Quid o Dromo? feci nihil quod dedecet.

DAN. Iudicio fisti te spondes? DRO. spondeo.

DAN. Quid iam? DRO. placet, DAN. promitte.

DRO. promitto, DAN. Veni.

CHORAVLES CHORVS,



Musis, poetis & sacro

Visus nequit infirmitas

Illiterati cecitas

Musis, poetis & sacro

Hinchostris est audacul⁹

Poeticis ornatibus

Musis poetis & sacro

Nisi fuisset vatibus

Terfita siue Zoilus

Phœbo referte gratias

Apollinem contingere

Nequit poetā cernere

Phœbo referte gratias,

Qui nescit vllas literas

Poeta vincit vyperas

Phœbo referre gratias.

Infensus & contrarius

Nil esset illis clarius

Actus

Quartus.

DROMO, PETRVCIVS

Dro. Salve perite iuris, & miseris pater

Patrone. consul rhetor, & legum sciens.

PE. Non admodū misero pater, sed diuiti

Nam liberi vxor & domus multis egent

Quos cogor educare mercenarius.

B ij

Quare nihil me pauper vnquam diuitat
At valde pauper. abi, miser nil me beat.
DRO. Quid si lucri ex causa tibi quid nascitur?
PETRV. Pōt quidē hoc, sed cedo qd negocij est?
DRO: Nostin Danistā? PETR. foeneratorē malū?
Noui, DRO. trahit nunc me ante iudicem sagax
PETRV. Quare? nam oportet sciscitari singula.
DRO. Meo magistro quid referre debui
Octo aureis sumptis, eos non tradidi
Sed credito mercem recepi, & vendidi.
Nunc postulant vterq, vtriscq pernego.
Nequeunt probare vterq propositum suum
PETRV. Causam bonā foues si dimidiū dabis
Octo aureorum. at est secus si non dabis
DRO. Cui darē? PETRV. mihi patrono, nā mea
Opera solutus eris ab hac instantia
DRO. Duos dabo, miserere paupertatulæ
PETRV. Fiat. Caue nil nisi ble respondeas
Si quero quæ, tu redde ble, atq aliud nihil.
DRO. Faciā, PETK. duos mihi polliceris aureos?
DRO. Promitto dum mō vicerō, PEtru. mō viceris
Eamus huc, Iudex tribunal occupat
MINOS, DANISTA, PETRV, DROMO,
MI. Præco iube silentium, aduersarij

Vbi sunt? adest nomenclator nominum?

DAN. Compareo iudex, & aio, q̄ Dromo

Vinas recepit panni adusc̄ quindecim

Metiente me, precijq̄ nil mihi soluerit

Cogať ergo octo aureos p̄soluere (miser

MI. Quid tu taces? Dro, Ble. Pe. apparet hic surdus

MI. Vade hinc Petrucci, patrocinare surdo huic

PETRV. Ducend⁹ haud vocand⁹ est, id sentio

MI. Curate vos caufidici, vt vnusquisq̄ sit

Cum instructionibus paratus litium.

Ne vt antea turbemur in processibus.

Sed introit Petrucius iam, quem prius

Audire & expedire stat sententia.

PETRV. Minos miser sudaster atq̄ mutus hic

Nequit fateri aut diffiteri nec loqui

Sed consulo, Danista causam testibus

(Si vincere optat & obtinere) iam probet.

DANI. Taceat ne siue loquatur, id refert nihil

Ego solus hoc sibi solitario dedi,

Igitur probare nil queo, sed hunc peto

Iurare decisorium & calumniam

MI. Petrucci, eum adduc, vt vel hunc interrogem:

Homo Danistę quid respondendum putas?

DRO. BLE. MI. Nō voles calūniā inferre improbe

B ij

putatq̄ nom̄ ay l'om̄

DRO. BLe. MI. interrogat⁹ vera negaueris.

DRO. BLe. MI. Sed probatione falsa neutere

DRO. BLe. MI. Neue quos pecunia corruperis

DRO. BLe. MI. Differendā ne tibi litem pares

DRO. BLe. MI. Sæpe ble, multūq; Ble, tibi suadeo

Danista vt hunc missum finas, nil obtines

DA. Ego obsecundor & obsequor, valeat latro

MI, Et ego petrucci absoluo sic clientulum

CHORAVLES CHORVS.



Cedant fori contentio & iurgia

Si vis quies vt sit tibi perpetua

In atrio nam tartari

Sunt & Minos & Eacus

Et cæteri consules & aduocati.

Vetat musa sequacibus industrijs

Frequentare iuridici subsellia

Vbi vigunt versutia

Calumniā mendacia

Doli mali. proditoriaeq; fraudes

At hortatur te laureis virentibus

Et coelestibus Apollinis concentibus

Dies noctes incumbere

Et libere

Et impigre

Vt cum phæbo sempiternus esse possis

Actus Quintus.

PETRVCIVS DREMO,

PEtru. Fortuna nobiscum fuit Rhamnusia

Fortuna que vertit reuertit omnia

Bene vertit acta quæ ante iudicem egimus

Quibus Danista te volutum prendidit.

Sed es solutus iudicis sententia

Opera me & consilio & auxilio simul.

Quare tuam fidem oro ne me proferas

Qd' iure pacti portionem sumpserim

Multo minus tandem mihi stipulatus es

Duos enim pollicitus es dare aures

Quos absq; controuersia merui probe

Expecto des, dare vis Dromo? DRO. Ble. Pe. cuius?

Vltra haud oportet alloqui vocabulo (modi

DRO. Ble. Pet. nō oportet talibus nunc moribus.

Nam libere loqui vales iam, Dro. Ble. Petru. Nihil

Hac voce soli cum sum? deinde est opus

Dro Ble, Pe. vis dare an nō te rogo, Dro. Ble. Pe. nō

Sed serio, ppere est eundum istuc mihi (ioco

Dro. Ble, Pet. versipellem me hercules te iudico

Immemorem & ingratum mihi merito bene
Vis soluere aureos duos mihi debitos ?
DRO. Ble. Pe. nō quiescam donec inueniā modum
Soluendo sis, aliter minas male senseris
ELSA, GRETA, HENNO, DRO, ABRAM
ELS. Vicina nunc pendeo animi opperor virum
Ex oppido, Danista cui iurgatus est
Timeo viri seueritatem, nescio
Quorsum excidit rumusculus de iurgio.
Potens Danista, sed maritus fortior.
At ecce longe illum per arua incedere
Video, suas spargentem & inde & hinc manus
Scire velim an assit pax, nimis sollicita sum
GRE. Quid te attinet pax iurgiumue respondeat !
ELS. O Greta, nescis de Dromone & filia
Fuit clam habendum Hennone semper, filia
Non nihil amat Dromonem, & is magis quidem
Rursus amat Abram ex intimo pectusculo.
Volui utrosq; combinare (vt est sacris
Legibus apertum) matrimonialiter.
Sed heu fortuna quæ domat mortalia
Ea noluit permittere, ac succensuit
Hodie maritus in oppido contra meum
Dromonē, & hæc mihi cura maxuma omnium est

Negligo crumenam Greta, si viuat Dromo,
GRE. Sine me tuū alloqui maritū vbi venerit
Nam mansuefiet in modū passeruli (ipsa
ELS. Tace venit, HEN. q̄s est domi? ELS. vxor
HEN. Excandeo ludibrio me haberi. item
Et infidelem & futilem & foemineum
ELS. Quare marite vir̄q̄ dilectissime?
HEN. Quia dromoni scelus apertum impingitur
Danista pannum credito dedisse vult,
Dromo negat, quod il ab hoc receperit
Adiere vterq̄ iudicis sententiam
GRE. Vicine noster Henno salue, nam salus
Vbi es tu ibi est, HEN. salueq̄ Greta identidem
GRE. Quid rex in vrbe? HEM. vxori ego dixi mō
Quia Dromoni scelus apertum impingitur
GRE. Apertū? HEN. vt ipse aiunt, at id beat meā
Erga hunc fidem q̄ liber est sententia
ELS. Heus liber est, adoleuit hic domi probe
Semper probis & integris Dromo moribus
Optauit autem filiam uxorem sibi
Quam saepe, nolui tibi Henno dicere
Nisi nunc, HEM. Dromo solut⁹ ex sentētia est
Egre Danista fert, vter constantior
Atq̄ probior sit, iudicis sententia est

GRE. Vis ergo tecum redeat ille in gratiam?
Scio ille ubi ē. HEN. volo, GRE. Veni Dromo cit⁹
DRO. Quid ē, HEN. frequēs hodie fuit turbatio
Quo nescio quis nostrum hoc incidit scelus
Si dicis omnem rem acta ut est, promittimus
Ego et vxor Abram filiam vxorem dare
DRO. Vxorē? HEN. ita, Dro. breuiter reuoluā singul⁹
Tu Henno octo es vxori furatus aureos (la
Pro panno ego quos pannicidæ soluerem
Noui q̄ vsurarius Danista sit
Decepi eum his octo aureis mirum in modum.
Iurisperitū adeptus perfidum & nequam
Quotam suam qui pactus esset litium
Antistrophonte syllogismo rhetorum
Decepi eundem, quo institutus sum modo
Nunc cuius est probitas proba ex sententia
Peto filiam vxorem dari, atq̄ hos aureos
Loco dari dotis GRE. Dromo bene iudicat
ELS. Assentior, caream licet peculio
Tamen nihil molestius perpeffa sum
Vnquam a die qua nata sum, at consentio
GRE. Decet Henno te nihil refragari modo
Nam & fortis est & laboriosus, & efficax
Nec adhuc vir est, nec adhuc iuuentæ proximus

Pulcher, decorus, HEN. Filia an placet tibi

ABRA. Placet, HEN. ergo habe atq; habeat. satis

Venite, adeste, estote amātes cōiuges (dos ampla erit

Quæ contulit laboris æuiternitas

Ea omnia in dotem damus, ELS, pax est rei

GRE. Vobis salutem opto, huius & comœdiæ

Quibusq; spectatoribus, iam plaudite.

Acta ludis **Febriis**: in edib⁹ Illu

stris Principis & Reuerēdi dñi Joannis Camerarij. Dalburgij
Langionū Episcopi heydelberge. Egere Jacob⁹ Dornberger
Jacob⁹ Eltz, Jacob⁹ Lutz, Jacob⁹ Merckel, Jacob⁹ Wimphe
lingius iunior. Erasim⁹ Munch Hieronymus Quaich. Joan
nes Synpo. Joannes Bubel. Modos fecit Daniel Megel. Jo
annes Rychartzbuser. recēsit. Idie kl. Februari⁹. Anno do
mini millesimo quadringētesimononagesimo septimo.

¶ Postea vero q̄ Episcop⁹ actores adolescētulos lauticia mēse
sue liberaliter exhilaratos / aureis quoq; annulis & siml⁹ nummis
aureis q̄munificētissime donasset, orōnē coepit oīm sodaliū no
mie Valentin⁹ Helfant Wissenburgen / qua p tam splendēti bñ
ficia hoc mō gratias egit.

¶ Comicos hos ludos Illustris pnceps & sacratissime pōtifer.
q̄s ingenij exercitādī tm̄ / nulli⁹ lucri aut questus grā instituim⁹ /
tuo nomi dedicam⁹ / cōssimo iure. Tu em̄ & prim⁹ & sol⁹ es q̄ hu
manitat⁹ studia / & lras politiores in hoc heydelbergen litū / in
hāc stoam (nō em̄ uero dixerim academiā cui⁹ Plato fuit autor
quē adhuc publice sordidis narib⁹ nauseāt) s̄ in hāc inq̄ scholā.
quasi humer⁹ ip̄e tuis intulisti. Et ad indoct⁹ / incult⁹ : & iuidis ve
teratorib⁹ / q̄ttidie defensas. adō ut nllē sint lraz delitie / nulla
germanie musa. q̄ nō in tuas laudes merito aspiret. te tuāq; illā
nobilē familiā nō in celū vsq; summis efferat pconijs. Qd̄ vō ab
ingenita tibi bñficētia tam illustri / & maiori q̄mereamur / p̄mio
nos donare & decorareq; dignat⁹ es liberalissime. Nos vniuersi
de imbecillitate studioz n̄roz cogitātes / certe neq̄m⁹ pares tue
munificētie grās meditari. S̄ hoc in oīm n̄rm vot⁹ est. vno assē
su ac sili voluntate vt optem⁹. De⁹ optim⁹ maxim⁹ / lōgo aeuo te
nobis / & lrare / reipub. psperere beneq; valentē pseruare dignes.

Impressū Liptzk p Valentinū Schumā. M. cccc. xiiij.

Pon. II c 1796, QK

ULB Halle


3

003 483 681



AKT 1796





B.I.G.

Farbkarte #13

Or. 534, 91.

B. M. II, 670.



Joānis Reuch-
lin Phorcensis Scenica
Progymnasmata. hoc
est. Ludicra pæter-
titamenta.

Sebastianus. Brant.

Accipe Vangionū presul venerāde / Ioannis
Capnionis nostri comica dulciloqui.
Quo duce Germanos comedia prisca reuisit
Et meruit succis Rhenus inire nouis.
Barbarico ex fumo / flāmas me⁹ ille decoras
Capnion elicuit. gracia multa viro.
Multū docta cohors / multū cirrata iuuetus
Debet Capnioni. multa thalia meo.

Nihil sine causa
OLPE

